blasphemiam conc[illegible] inquiens: benedic deo et morere i. maledic ei. Confitebitur tibi
cum benefeceris ei. Introibit usque in progenies patrum suorum i. immutabitur in patres
suos sequendo uias eorum et diuicias congregando. Usque in eternum non uidebit
lumen i. et in presenti et in futuro tenebras pacientur. Nam in presenti repleti te-
nebras cordis paciuntur intrinsecus in corde per quas ad ueras tenebras tor-
mentorum deuoluentur. TIT. PSALMUS ASAPH. Asaph interpretatur sinagoga i.
congregatio. Nam sinagoga grece, asaph dicitur hebraice, latine congregatio.
De asaph ergo cantatur hic psalmus i. de sinagoga propter idem ut et iam de omni gene-
ralitate sanctorum ecclesia. Nam asaph unus fuit ex cantoribus David qui in templo domini lira et
citara personantibus preerant. Sed propter misterium nominis quia uidelicet con-
gregatio interpretatur in titulo proponitur. PSALMUS

DEUS DEORUM DOMINUS; Quis est deus deorum. Deus nimirum uniuersitatique creator celorum et terre. Con-
ditor angelorum et hominum, his in quantum quoniam condidit qui summus deus est
et solus uere ac essencialiter deus qui omnia condidit ut creauit. Et iam istos deos in-
ter ceteros fecit. Sed qui sunt isti dii quos ille summus deus condidit. Apostolique patriarche
et prophete quos participio diuinitatis sue illa uera diuinitas adoptiuos effi-
cit deos. Sicut alibi scriptum est: Ego dixi dii estis, et Moysi dictum est: Constitui te deum
pharaonis. His ergo deus qui est deorum i. sanctorum omnium dominus quique olim per prophetas suos et pan-
[illegible] celos loquebatur in mundum ueniens naturam nostram accipiens tandem locutus est per se me-
ipsum [illegible] uocauit sub. ad fidem terram i. homines terram incedentes omne genus ho-
minum uidelicet. Quod duobus modis uocauit ad fidem suam christus. electione et predicati-
one. Sed electione specialiter tantum iustos et ad uitam eternam predestinatos. Predi-
catione uero et malos et bonos. A solis ortu usque ad occasum quousque peruenit illa
uocatio. a. s. o. u. a. id est per uniuersum mundum a termino usque ad terminum. Ex Sion
species decoris eius. Unde cepit illa uocatio ex Sion utique i. de ierusalem. Nam Sion arx
est in ierusalem de qua aduentum hostium speculabantur. Unde et speculatio inter-
pretatur. Ex Sion inquit cepit diuina predicatio i. ex iudeis ex quibus christus carnem